

plicantur chartis. Deinde & hoc annotari meretur discrimen, quòd voc. *Typographiae* accipiatur partim pro arte absolute considerata; quatenus est habitus animo Typographi inhaerens; partim verò pro toto aliquo integrali, ex variis partibus heterogeneis, e. g. *typis, atramento, prelo, &c.* composito, quatenus in officinis Typographicis reservatur. Nos posteriorem h. l. amplectimur significationem, quae inservire per omnia nostro videtur scopo; quancquam & priorem exclusam penitus nolumus.

III. Alio nomine *Chalcographia* appellatur, à *χάλυξ*, aere, quoniam typi s. characteres impressorii ex aere maxime conficiuntur. *Scaliger in Exercit.* usus est vocabulo *Cassiterographiae*, vel, si Dialecto efferas Attica, *Cattiterographiae*, à *κασιπίς* vel *κασιπίς*, stanno, plumbo. Latine dicitur ars impressoria, ars excusoria. In vernacula nostra audit, *die Buchdrucker-Kunst/die Buchdruckerey/it. die Prenterey*; quod vocabulum aliquoties usurpatum invenies in libello recens à membro Soc. Teut. edito, sub Tit. *Zeitungs-Lust und Nutz*/ubi deducit à verbo Germ. *prenten*/quod idem ipsi significat ac *drucken*. Quomodo aliis Nationibus vocetur, cum nostra minime intersit, silentio hinc praeterimus.

IV. Alias multas deprehendimus appellationes, quibus *Typographia* passim honoratur. Ita a *Thom. Lansio* ars memoriae, mors oblivionis, ingeniorum asyllum, salutatur. A *Boeclero* scholarum mater; à *Salmuthio* omnium artium conservatrix; ab *Hachenbergio* ingeniorum vita, ac literarum tutela, appellatur. Sic etiam vocatur Regina artium, ars artium, Musarum praesidium, palladium Virtutum, & quae caeterae sunt; quibus summam hujus artis tum dignitatem, tum utilitatem declarare fatagunt Scriptores.